

Letter 229: 2 December 1524, Nürnberg, Dominik Schleupner to Capito

This letter is printed in Gerdesius, II, pp. 77-8.

Post meum e Silesia reditum accepi tuas literas, optime patrone, mihi semper gratissimas. In hoc autem quod meum silentium accusas, culpam deprecor, quamvis possem excusare, vix enim credis, quot nos indies actiones agunt, de quibus ut tibi scribam non arbitror necessarium fore, qui tibi eas notissimas esse censeam. Quo vero in statu sitis et an evangelium adhuc currat apud vos, prorsus ignoramus, praeter id solum, quod vobis ministris datum sit, non solum ut in Christum credatis sed etiam pro ipso patiamini. Cupimus autem ex vestris persecutionibus consolari nostram fraternitatem, atque ex animo te oro, fac me de singulis, quae ad rem spectant, certiozem.

10 Nos novam pestem olfacimus, quam (ut vocant) prophetae subintroducunt, qui scripturae praetextu Scripturam oppugnant, ac miseram plebeculam misere dilaniant, legem rursus et liberum arbitrium inferentes. Scriberem pluribus, nisi fama esset, aliquos illorum ad vos concessisse, atque illius factionis principem Storch istic esse, unde fortassis quid praetendant, satis intellexisti. De quo et quid vos in hac re facitis, an dissimulatis, aut ille taceat, etiam scribito.

15 Iohannem meum fidelem et diligentem esse gaudeo, adeoque magis quod a te tale meritum est testimonium. Heruosum iuvenem Silesitam, quem mihi commendasti, amanter suscepi ac meo patrocinio, imo ministerio, eiusmodi curam obtinuit, qualem millesimus quisque nunquam audivit nedum consequitur, ut sine ferro, et sine dolore gratuletur gaudeatque se sanatum. Ipse rem aperiet, quo suam gratitudinem erga te intelligas. Osiandrum item non possum non excusare si nihil scribat ad vos, qui ne dormire quidem certe potest prae negotiis. Vale in Christo et me ne desinas amare. Nurburgae. Datum 2 Decembris 1524.

Dominicus Sleupner.